

Disputatio
philosophica
inauguralis de causa
efficiente. Quam
approbatione ...

Laurentius Nicolai,

11 Ae 4:o



National Library
of Sweden



DISPUTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS

De

C A U S A E F
F I C I E N T E .

Quam.

Approbatione & consensu Amplissima Facultatis Philosophi-
ca, in nova & Regia Universitate Aboënsi

Magnifico Rectore,

Admod. Reverendo & Praclarissimo Viro,

DN. M. SVENONE VIGELIO

COPIA WESMANNO, S.S. Theol. Prof: P. per-
celebri, ut & in Sagu Past. digniss. Patrono suo
unicè colendo.

Spectabiliq; Decano

Reverendo & Præcellentissimo Viro,

DN. M. SIMONE KEXLERO,

Matheseos tam Infer: quàm Super: Profess: perindustrio,

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi atq; Excellentissimi Viri,

DN. M. NICOLAI L. NYCOPENSIS

Log: & Poës: Profess: Eximij, Fautoris ætatem suspiciendi

Pro summo in Philosophiâ gradu consequendo, ejusq; privile-
gij reportandis, publico Examine placidè submittit

PETRUS JONÆ HELLENIUS

AROSWESMANNUS

Ad diem 28. Aprilis Anni Currentis 1643.

ABOGIÆ, Excudebat Petrus Wald Acad. Typogr. 1643.



CADZAR F. FICHTER

WILHELM VON WITTEL

ERICH VON DER LINDEN

EMILIO VON ...



Prodromus.

Quantum utilitatis, ad reconditos natura recessus penetrandos
& intimius investigandos, causarum cognitio, conferat, mul-
tis præfari supervacaneum duco: præsertim, cum absolutissima &
perfectissima cognitio, rerum scientia, è causis probè cognitis potissi-
mum consurgat, causarumq; mutuâ conspiratione, res ipsa oriuntur
& constant; Hinc tantis Encomijs celebrantur illi homines, qui sin-
gulari quodam, cum ingenij tum judicij acumine pollentes supra
communem sortem sese elevantes, rerum oblatarum causas, soler-
tiâ quâdam & dexteritate inquirunt. Quantum præterea diffi-
cultatis sit in eadem acquirenda neminem latere existimo, qui ani-
mum hominis in rerum veritate inquirendâ, ob facultatis intellecti-
væ imbecillitatem, & objecti cognoscendi obscuritatem, quàm sapif-
simè falli animadverterit. Cum igitur utilitas nos alliciat & in-
vitet, difficultas impediât & deterreat. Quid faciendum? Ve-
rum difficultas nos non moveat; sed potius moneat, ut de medijs con-
sultemus, quorum beneficio tolli, vel ad minimum levari possit. Ab-
stracta itaq; causarum Theoria evolvatur, ut illâ tanquam singulari
monitore & directore intellectus adornatus, cum errores aliorum
circa causarum inquisitionem deprehendere, tum semet ipsum infor-
mare possit, ejusq; ductu obviam quævis causarum indigitatione ex-
ponere. Hac itaq; ratione motus, mihi disputaturo, minimè incon-
veniens duxi, nonnulla de causa Efficiente auspicio divini numinis
conscribere. cum a. ob difficultatem & multitudinem rerum, sin-
gula quæ de Causa Efficiente dicenda essent, unius disputationis can-
cellis includi nequeant, omnia enim semel & simul pertractare, im-
possibile distincta distinctam postulant considerationem: ideo præsen-
tem disquisitionem, tribus sectionibus distinctam, proponere animus
est, quarum. 1. Definitionem. 2. Nonnullas distinctiones. 3. Usum
& præxin, canonum quorundam appositione designatum exhibebit.



SECTIO PRIMA

De CAUSÆ EFFICIENTIS Essentia.

I.

Cum primus accuratæ cognitionis gradus, a rerum Definitionibus & explicationibus incipiat, per illas enim Quidditas & Essentia unius cujusq; rei declaratur, idè impræsentiarum ante omnia annitendum est, ut Definitio causæ Efficientis indigetur & explicetur, sic enim aditum faciliorem, ad ulteriora hæc de re examinanda & dijudicanda, parabimus.

II.

Variaæ autem Definitiones a Philosophis circumferuntur, quibus omissis, Definitionem Rameam, quæ magis dilucidè & acuratè essentiam naturamq; causæ efficientes explanare videtur, retinemus: Quia definitur *Causa Externa a qua res est.* III.

In hujus descriptionis Analyfi duo potissimum respicienda veniunt. *Definitum & Definitio.* Definitum est *causa Efficiens*, quæ sic dicitur quia efficit aliquid. h. e. producit effectum, ut Pictor picturam, Architectus domum, &c.

IV.

Definitio duobus conceptibus Absolvitur: *Genere & Differentia.* Genus est *Causa Externa*, Non enim intrinsecus ingreditur essentiam effecti, per modum actus vel potentia illam compenendo, sed foris & extra essentiam consistens, illam extrinsecus causat. 5. Dif-

Differentia sequentibus verbis exponitur 1. Per particulam *A Qua*, peculiaris causalitas, a cæteris distincta, notatur *Actio* videlicet: Ab aliquo aliquid esse dicitur, quod per ejus Actionem est 2. Per Vocabulum *Rei* intelligitur correlatum causæ efficientis, *Effectum*: sunt enim causa efficiens & effectum relata, unde alterum alterius mutuâ appositione definiendum 3. Vocula *Est* sumenda est late, quod intelligitur, si eadem ad varios efficiendi modos applicetur.

VI.

Ex his igitur facile constat, quod solum efficiens per *Actionem*, attingat effectum, & constituatur actu causans & influens in effectum producendum: *Materia* enim *Patitur*, adeoq; recipit actionem efficientis: *Finis* allicit & impellit ad agendum unde ejus actio saltem est *Intentionalis*: *Forma* est quidem effecti actus sed per actionem efficientis *Producta*.

SECTIO SECUNDA

De

EJUSDEM DISTRIBUTIONE.

VII.

Exposita itaq; Definitione rectâ progrediemur ad ejusdem Distributionem in quâ *secundus gradus cognitionis* consistit: dum essentiâ & quidditate rei in genere cognita & perspectâ, quot modis eâ ipsa specialius exeratur & contrahatur nonnihil attentius perscrutamur. Duobus ergo sequentibus punctis hanc rem expediemus.

Punctum Primum,

VIII.

Distingvitur igitur causa efficiens primò in *Procreantem & Conservantem*. *Procreans* est quæ rem primò efficit. Efficere verò aliquid primò, est rem a *Non Esse* ad *Esse* producere: sic otium dicitur causa procreans amoris, ebrietas & nimia ingurgitatio vini, variorum morborum, &c.

IX.

In hujus definitionis Exegesi, notandum est, *Primitatem* illam quam innuimus, non esse sumendam ex *parte causarum* quasi illa solùm dicatur causa procreans, quæ primò, & citra concursum alterius causæ, independentè agat: sic enim excluderentur causæ secundæ & min⁹ principales. Sed ex *Parte Effecti*, adeò ut illa nomine causæ procreantis veniat, quæ effecto *primum Esse* conferat.

X.

Conservans igitur dicitur esse, quæ *Rem procreantem conservat*. h. e. quæ concurrat & influit actione aliquâ ad rem jam ex causis suis emergentem & constitutam, ita quidem ut faciat rem *porrò esse*, quæ semel cepit *Esse*: Sic mulier infanti ubera præbendo, & lac suggerendo, esse ipsius seu vitam ante partam, salvam & integram cõservat.

XI.

Conservationem Philosophi triplicem recensent 1. conservatio est accidentalis, sive per Accidens, quâ una res alteram conservare dicitur, quatenus ejus contrarium vel destruit, vel pellit, vel ei resistit. 2. Conservare is dicitur, qui dispositiones quasdam rei perpetuan-

andæ necessarias, efficit. 3. Qui continuò influuit esse, quod a causa procreante, tributum est: hoc modo sol dicitur conservare lumen, quia perseverat influendo per radios suos, a quibus fit lumen.

XII.

Ex hisce sufficientia hujus divisionis colligitur. Quod autem nonnulli philosophi alias quasdam causas agnoscant, id salvâ tamen ipsorum Authoritate, necessarium non videtur. Quoniam sufficienter hæ omnes, quas pro confirmatione suæ sententiæ adducunt, ad alterutram modo prædictarum referri possunt, ut datâ occasione in ipsâ actu disputationis ostendere conabimur.

XIII.

Quod *Causa conservans*, non minùs *Causa Efficiens* sit ac *Procreans*, indè liquet: quia inter *Ens conservans*, & rem conservandam, vera & realis, intercedit *Actio*, qualis est *Nutricatio*, inter *Nutricem* & puerum *Nutriendum*, ubi autem est vera actio, ibi verum agens seu *Efficiens*, quia uti prius dictum *Actio est causalitas Efficientis*.

XIV.

Causa Procreans Effectum vel Virtualitèr simul ac formalitèr producit, & nominatur *Univoca*; vel virtualitèr tantùm, & dicitur *Æquivoca*. *Univoca* causa effectum sibi similem in *Specie* producit: Sic homo hominem producit. Leo leonem, Bos bovem, Canis canem, Rana ranam, &c. actione univoca. Sunt n. procreans & procreatum ratione entitatis specificæ sibi similia. *Æquivoca* verò *Causa* est & dicitur illa, quæ effectum *Specie* & *Essentiâ diversum* producit: sic Sutor calceum efficit, Architectus domum, hic n. dissimilitudo essentiæ specificæ

cernitur. Ideo hanc ob causam, Deus etiam dicitur causa Procreans mundi æquivoca. h. e. talis quæ naturam planè diversam ab effectu suo habeat: est enim & ratione entitatis & operationis independens; licet æquivocè non sit causa. Cum propriissimè & realissimè sit opefex totius universi.

XIV.

Huc quoq; annotanda non incommodè venit. Distinctio causæ efficientis, in causam per *Emanationem*, & causam per *Transmutationem*. Causa efficiens per emanationem est, à Qua resultat effectus, non interveniente accidente alio: Sic sol est causa lucis, quia lux immèdiatè a sole emanat: sic forma est causa efficiens potentiarum naturalium in composito. Anima Rationalis est causa intellectus, Voluntatis, Docilitatis risibilitatis &c. quia hæc propria accidentia fluunt ab Anima.

XVI.

Causa Efficiens per *Transmutationem* est, quæ agit mediante alio Accidente: sic formæ rerum naturalium, agunt mediantibus qualitatibus, cælum agit per lumen & lucem, sic ignis calefacit mediantè calore, Aqua humectat mediante humiditate &c. hoc modo per transmutationem materiæ, Arcularius scamnum efficit, &c.

Punctum Secundum.

XVIII.

Deinde Distingvitur Causa Efficiens in *Solitariam* & *Sociam*. Solitaria causa est, quæ aliam coordinatam, ad productionem effectû non admittit: sic Nisus solitaria causa est cædis Rutulorum. *Socia causa* est quæ alterius causæ concursum admittit, & cum illa mutuas operas in producendo effectû tradit.

XVIII.

Notanter dicitur: quod causa solitaria *Causam coordinatam non requirat*, sive admittat, h.e. talem quæ ejusdem ordinis & gradus sit, licet interim aliarum causarum concursus non respuat. Subordinationem enim non excludit, sed paritatem conjunctionis & societatis negat.

XIX.

Causa locia dispescitur in *Coordinatam & Subordinatam*. Causæ coordinatæ dicuntur illæ, quæ æquali virtute effectum producant: sic causæ coordinatæ sunt duo equi, æquè robusti, eandem trahentes rhedam. *Subordinatæ* verò causæ sunt illæ, quæ inæquali & dispari virtute effectum comproducant.

XX.

Subordinata causa est vel *Principalis* vel *Minus principalis*. Principalis est quæ principali virtute influit in effectum: sive ut alij volunt. Principalis est propria & prædominans causa, à quâ primus fit motus, quâq; non agente ceteræ nihil producant: sic Dux belli est primarius author victoriæ in bello. XXI.

Minus Principalis est, quæ in agendo cooperatur principali agenti: sic qualitates agunt cum formis substantialibus, in productione rerum Physicarum: sic calor ventriculi absolvit cõcoctionem, sed tanquam causa minus principalis & adjumentum ipsi⁹ Animæ causæ principalis.

XXII.

Subdividitur hæc in *Adjuvantem & Instrumentalem*. Causa Adjuvans est causa minus Principalis, quæ seipsam movendo, actionem causæ principalis promovet: sic milites in bello, agunt cum generali direttore & duce.

XXIII.

Causa Instrumentalis est, quæ ab alia causa elevatur ad effectum suâ virtute superius producendum: sic penna est instrumentum scriptiois, malleus fabricationis, securis ascia, dolabrum Architecturæ.

XXIV.

Circa vocem Instrumenti notandum est, eam trifariam in scholis Philosophorum usurpari. 1. Omne illud quod influxum superioris recipit, & à quo dirigitur & movetur dicitur instrumentum. 2. Instrumentum dicitur illud, quod operationem habet, nec est suppositum. 3. Instrumentum dicitur illud, per quod alia causa operatur sic, ut hoc elevetur ad effectum se nobiliorem, seu ultra perfectionem & suam & actionis suæ.

XXV.

Ne igitur illud quod medium est statim instrumentum vocemus, conditiones instrumenti notandæ sunt, quarum 1. *Ut subsit* alicui superiori agenti, à quo dirigitur. 2. Ut ad effectum causæ principalis *Una influat*, & ad illum producendum aliquid conferat, si non influeret & concurreret ad productionem effecti, causæ rationem obtinere non posset: deratione enim & essentiâ causæ efficientis est, ut *Ejus actione Effectum existat*. Oportet igitur ut *Instrumentum* propriè sic dictum, in esse effecti causæ principalis influat. XXVI.

His itaq; probè consideratis, discrimen causæ principalis & Instrumentalis, absq; difficultate aliquâ assequi licet, quoniam discrimen illud est cum ratione finis: tum ratione modi agendi. 1. *Ratione Finis*, quem principalis per se intendit, Instrumentalis verò quatenus a causa principali ad illum

lum invitatur 2. *Ratione modi Agendi*: Agit enim causa principalis virtute propria, instrumentalis virtute communicata & dependente, ex se enim sufficientes vires ad productionem effecti non habet, sed agit in virtute causa principalis.
XXVII.

Variae sunt Divisiones Instrumenti, quas enumerare angustia pagellarum prohibet. Nos unica hac contenti, caeteris supersedemus. Instrumenta alia sunt *Necessaria*, alia *Arbitraria*: illa sunt quibus causa principalis in causando effectu carere nequit: Sic malleus est necessarius fabro ad fabricandum &c. sunt a. haec vel *Simpliciter Necessaria*: sine quibus nullo modo effectum suum producere potest: tale quid fuit fuit prius nominatum. Vel *Secundum Quid*: sine quibus effectum suum producere potest, sed non commodè & facile. *Arbitraria Instrumenta* sunt, quibus causa efficiens carere potest, modo velit: sic equi liberè adhibentur ad perficiendum iter.

XXVIII.

Essent quidem hic aliae divisiones causae efficientis apponendae, verum ob angustiam pagellarum in aliud tempus eas reservamus & ad sectionem tertiam pergimus.

SECTIO TERTIA

De

U S U E T P R A X I

hujus Doctrinae.

XXIX.

Usus hujus tractatus, in praxi reali & Philosophicâ cernitur, quando haec praecipua, in particularium rerum causis disquirendis, debite & legitime applicantur: Qui ut Manifestior & dilucidior fieret, ideo certa quaedam

Axio-

Axiomata & Porismata ex hac Doctrina fluentia, philoso-
phi proposuere: in his enim tertius cognitionis gradus consistere
videtur, quorum vestigijs nos etiam insistentes, paucula
subjungemus.

Omnis Efficiens est extrarem.

Omnis Efficiens verè agit.

Qualis causa talis Effectus.

Posita causa ponitur Effectus & sublata tollitur.

Efficiens non potest alij dare quod ipsum non habet.

Omnis Procreans sibi simile procreat.

Si causa Procreans est, Effectum etiam esse potest & contrà.

*Si Effectum est procreatum, a procreante procreatum esse
neceffe est.*

Positis causis Sufficientibus in actu, sequitur Effectus.

*Causa Principalis non excludit Minus Principales seu Ad-
ministras.*

Agentis Principalis & Instrumentalis una est actio.

Politissimo Juveni

Et supra aetatem consumata eruditionis

**DN. PETRO IONÆ HEL-
LENIO** Arosiâ-Vvesmanno, Phil: Cand:

Præstantissimo, amico suo perdilecto; ita paucif-
simis, sed animitus, gratulari voluit.

Pracoce perpolles doctissime acumine Petre,
Vivido & ingenio.

Uttere! jungatur constansq; modestia, **Clarus**
Sim bonus augur, eris.

L Mq;

MICHAEL O. WEXIONIUS

P. Prof: